ORATIO

ANNIVERSARIA

HARVÆANA.

O R A T I O
A N N I V E R S A R I A
I N
T H E A T R O
C O L L E G I I R E G A L I S
MEDICORUM LONDINENSIUM,
E X
H A R V Æ I inſtituto,
Habita Feſto Divi L U C Æ,

A. D. M DCC LIV.

A Joanne Thoma Batt, M. D. Coll. Med. et S. R. S.

L O N D I N I:

Apud R. et J. Dodsley in Pall-mall. Mdcclv.

VIRO EGREGIO

THOMÆ REEVE, M. D.

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM,

HANC ORATIUNCULAM,

ILLORUM HORTATU EDITAM,

EÂ QUÂ PAR EST OBSERVANTIÂ,

D. D. D.

JOANNES THOMAS BATT.

ORATIO

HARVÆANA.

A Majoribus noſtris ſapienter proviſum eſt, AUDITORES SPECTATISSIMI, ut, qui præclaras ſocietates inſtituendo, ſalutares leges ſanciendo, optimarum artium aut ſcientiarum cultu, vel utili quâvis inventione civium ſuorum com-

modo proſpicientes, moribus, operâ, vel faculta-
tibus de republicâ inſigniter meruerunt, ii ſummâ
et ampliſſimâ omnium prædicatione in perpetuum
ornarentur. Id enim laborum imprimis incita-
menti ac mercedis requirit virtus, ut, poſt fune-
ra, non ſolùm per dies, aut menſes ſingulos vivat,
ſed ſolenni quâdam laudatione ſeris etiam nepoti-
bus commendetur. Optimo igitur conſilio egiſſe
videtur, qui hodiernam benefactorum noſtrorum
commemorationem celebrari voluit, vir clariſſimus
HARVÆUS. Satur ipſe laudis, ſuum cuique hono-
rem non impertiri nefas eſſe duxit; ſeque parùm
utiliter poſteris conſulturum fuiſſe credidit, ſi
minùs anteceſſorum gloriæ proſpexiſſet. Et quid
omnino æquius eſſe poteſt, quàm ut noſmet, quo-
rum continuò beneficiis honeſtamur, illorum mu-
nificentiam ac liberalitatem grato animo recola-
mus? Quid honeſtius, quàm ut virorum illuſtri-
um

um præconia celebremus, eorumque præclara facinora ab interitu vindicemus? Unde rectiùs, aut feliciùs promoveri poſſe probæ vitæ rationem putemus, quàm aliorum mores inſpiciendo? Incendit virtutis fulgor, vixque admirari licet, quin et imitandi ſtudio ardeamus. In republicâ adminiſtrandâ, inquit Tullius, animum et mentem meam ipsâ cogitatione hominum excellentium conformabam.

Si de ſingulari artis noſtræ præſtantiâ loqui aggrederer, in immenſum profectò campum diffunderetur oratio. Quem enim prædicationis modum invenirem, cum medicinæ dignitas et utilitas penè ſit infinita? Quæ plena adeò ingenii ubertas exiſtere poteſt, ut tanta valeat excogitare encomia, quanta illa mortalibus beneficia ſubminiſtrat? Cæteræ quidem artes, breves et cadu-

cæ, ex morum, regionum, temporum varietate, vel hominum opinione pendentes, aut cum ufu fuo omnino pereunt, aut fubitò fæpe exolefcunt: fola hæc temporum eft omnium, et ætatum, et locorum, ubicunque hominis compages morbis fuerit obnoxia. Inter acerbiffimos enim corporis cruciatus, inter graviffimas animi folicitudines, una omnibus in auxilium, quafi falutare numen, advocatur Medicina. Quid de priftino ejus honore dicemus? quòd, apud primos homines, non præmiis et præconiis folum, fed divino etiam cultu digna habebatur ars medendi? Etenim fi vitam dare proprium Dei munus fit, certè datam tueri, et jam oppreffam penè reftaurare, aut fugientem retinere, aut exulantem quafi poftliminio revocare, divinæ poteftati proximum fateamur neceffe eft. Sed quæ fuâ et nativâ pulchritudine femper adeò enituit, et illuftris fuit, fi medico-

rum

rum noſtrorum famam et dignitatem propiùs intueamur, pulchrior multò et illuſtrior evaſura videtur.

QUODNAM autem, præ Linacro, exemplar vobis hìc ob oculos proponam? Inter primos certè laudatu dignus eſt, qui primus hiſce rebus noſtris, medicinæ ipſi, præ infantiâ vacillanti, ſeu potius hâc in regione naſcenti, et præſidio et ornamento fuit. Si reipublicæ noſtræ fundamenta poſuiſſe, arce atque mæniis muniviſſe, Linacro jure gloriæ vertatur, illud etiam accedit laudis, quòd idem liberalioris omnis diſciplinæ apud noſtrates inſtaurator egregius extitit. Res parvas attigiſſe non hujus erat viri, cujus ingenium ſumma quæcunque et maximè ardua ſuperabat. Ingentem, quâ literas appetebat, ſitim non una regio explere potuit; nihil enim ſe didiciſſe credebat, dummodo

modo aliquid difcendum fupereffet. Quicquid vel Roma fcientiæ, vel artium Florentia fuppeditare potuit, id omne avido ore exhaufit, atque thefauris fuis ab Oxoniâ reportatis prudens adjecit; adeòque non fuos modo, fed exteros quofcunque doctrinæ gloriâ facilè præluxit, ut omnes Linacri amicitiam et confuetudinem, quafi fingularis meriti indices, ambirent. Non familiarem fibi Linacrum erubuit Laurentius de Medicis, magnus ille Etruriæ dux; non amicum, aut patronum, aut præceptorem Linacrum ipfe dedignatus eft Erafmus. Quid mirum fi, cujus tanta foris exiftimatio habita fuit, illum etiam domi præmia permagna expectarent? In patriam redux, unus è multis dignus reperiebatur, qui regum noftrorum, Henrici fcilicet feptimi et octavi, faluti invigilaret, nec non qui fereniffimo principi Arthuro medici fimul et præceptoris officio fungeretur.

geretur. Qui tamen, cum eò honoris perveniſſet, poſthabito ſuo ipſius commodo, totam, quâ apud reges valebat, gratiam atque authoritatem arti noſtræ in auxilium tranſtulit. Abundè enim ſe ſibi profuturum exiſtimavit, ſi modo reipublicæ et humano generi prodeſſe poſſet. Nihil igitur antiquius habuit, nihil impenſius laboravit, quàm ut medicinam, cujus quidem depreſſam et iniquam nimis ſortem vidit, languentem quodammodo erigeret et amplificaret, ſedemque ei ſtabilem et perennem poneret. Quod optavit, optimis ſub auſpiciis effecit: disjectos undique artis profeſſores in unum congregavit: collegium medicorum, regio favore et Senatûs authoritate munitum, privilegiis et immunitatibus auctum atque inſignitum, feliciter ſtabilivit: ne prudentis regiminis deſideraretur exemplum, ipſe diù ſuum præbuit: ut comitiis habendis locus eſſet, ipſe

vivens

vivens ſuas accommodavit ædes, quas etiam moriens ſocietati ſuperfuturæ, tanquam hæredibus dilectiſſimis, teſtamento legavit.

Non tamen hiſce ripis contineri potuit munificentiæ Linacrinæ flumen. Ne quis enim Angliæ locus inſignior, ne quodvis literarum domicilium, liberalitatis ejus expers relinqueretur, duas Oxonii ſolennes prælectiones, alteram Cantabrigiæ, cum ſtipendiis ſatis amplis, inſtituit; ut per hoſce ductus, in totius regni campos, ſteriles adhuc atque aridos, ſcientiæ latices permearent. Hoc nempe velle maxime videbatur, ut in duobus hiſce Philoſophiæ ſaltubus continuò ſuccreſcerent viri, qui in hujus Societatis ordines atque honores cum laude tandem adſciſcerentur.

LINACRUM brevi ſecutus eſt, noſtriſque rebus non ſolum amicè interfuit, ſed etiam laudabilitèr præfuit, Joannes Caius; vir doctrinâ pariter ac morum probitate inſignis, totuſque adeo ad Linacri exemplum compoſitus, ut non alter, ſed idem fere videretur. Quum hi enim viri inſignes cætera omnia habuerunt paria, par etiam erat utrique erga nos ſtudium ac benevolentia. Si de Linacro conditore gloriari poſſimus, defenſorem noſtrum, ac propugnatorem acerimum, Caium meritò prædicamus. Naſcenti huic reipublicæ, ſiqua deerant, mores et ſtatuta adjecit, ipſe ſtatutorum obſervantiſſimus, Caius. Num rerum geſtarum habenda erat ratio? Annales collegii, ſummâ latini ſermonis elegantiâ conſcriptos, plurimâ ſociorum virtute refertos, poſteris conſignavit. Quo melius præſidis dignitati conſuleretur, caduceum et pulvinar, honeſtiſſima

virtutis infignia, primus ille excogitavit et adjecit. Inermem enim et ornamento nudam medici authoritatem effe noluit. Quod omnino collegium effet Linacro debemus, quod vero fplendidum fit et ornatum, id tibi, Caie, in decus et gloriam fempiternam cedet.

Hisce pofitis civitatis noftræ fundamentis, complures extitêre optimi quidem et præftantiffimi viri, qui tum in medicinâ excolendâ, tum in rebus noftris promovendis atque exornandis, ftudium omne et fortunas fuas collocârunt.

Nullâ unquam noftrorum memoriâ tacendus erit Caldwaldus, qui, prænobili Lumleio in gloriæ confortium afcito, chirurgicam operam difciplinæ noftræ munificus adjunxit.

Pari etiam jure laudandus celeberrimus Goulſtonus, qui ad fabricam humanam, variaſque ejus opes et facultatum origines explicandas, prælectionem anatomicam inſtituit. Senſerunt profecto hi eximii viri quàm ne vix ulla quidem, vel dimidiata omnino ſit medicinæ vis, quæ non et alteram ſui partem, manu præſtandam, ſibi conjunctam habeat. Probè ſenſerunt quantum ad morborum curationes res chirurgica, res etiam anatomica, conducat. Hinc in melius quotidiè mutari, augeri, in altum denique creſcere, res noſtræ cæperunt. Hinc in hepate detegendo inclaruit Gliſſonus, in glandulis explicandis Whartonus, in cerebri compage inveſtigandâ Williſius; hinc utiliſſimis plurimorum virorum inventis indies ars noſtra ditata eſt; omnium verò omnia inventa, ex Harvæo, tanquam ex fonte uberrimo, vel derivata, vel confirmata.

Salve, magne remedii parens, vir optime, omnium ſagaciſſime, Harvæe, qui, vagam antea et tenebris obſitam, certiorem tandem et rationis participem medicinam reddidiſti! Tu oculis acutis in intimos humani corporis receſſus introſpexiſti, et veritatem, in ipſis cordis penetralibus priùs latitantem, in lucem evocâſti. Tu de myſterio, ad tuum tempus recondito, quod omnis prior ætas inexpugnabile judicaverat, triumphum egiſti. Tu non ſolum doctrinâ et ingenio tuo artem noſtram locupletâſti, ſed et ædibus hiſce amplitudinem adtuliſti; ſed et cænaculum, et libros, et convivia addidiſti; tuorum denique ex aſſe hæredem collegium ſcripſiſti. Titulis et imaginibus ſuperbiant alii, æra excudant, monumenta extruant, quæ breves dominos mox ſequentur; tu, vir immortalis, inventis tuis, veram, atque omni ære et monumento perenniorem, famam

collegiſti.

collegisti. Quamdiu enim ex ovo ortus suos et primordia ducent animalia, quamdiu corpus humanum circumfluet et irrigabit vitalis unda, usque honos, nomenque tuum, HARVÆE, apud omnem posteritatem, vigebit.

INGRATUS omnino essem, si, inter eximios hujusce collegii fautores, Hamæum, commendatione nostrâ dignissimum, præterirem. Qui ædes nostras in discrimen adductas, et improborum hastæ subjectas, ingenti suâ pecuniâ redemit. Qui incendio deletas, pristino splendori restituit. Qui denique, ne vivus mortuusve nobis non prodesse videretur, amplissima duo prædia supremis tabulis legavit; eo ipso carus omnibus ac desiderandus, quòd prospexerat, quo minùs ipse desideraretur.

MULTI

Multi ſunt prættereà excellentes et de nobis bene meriti viri, quorum nomina tacere nefas eſſet, ſat ornare vero vel augere ſingulos vix eloquentiſſimus, nedum orator parùm in dicendo verſatus, poſſet.

Talis extitit prænobilis Dórceſtriæ Marchio, qui, ſuo nomine adſcripto, illuſtriorem ſociorum numerum reddidit. Qui, in perpetuum benevolentiæ ſuæ teſtimonium, Bibliothecam, lautâ admodum librorum ſuppellectili inſtructam, nobis dono dedit.

Tales extitêre, Sydenhamus, Halæus, Radclivius, Friendus, præclara haud ita pridem hujus Societatis nomina. Quos tamen ſi quis pro dignitate laudare in ſe reciperet, næ illi hiſtoria potius quam oratio contexenda foret.

Ut verò omnes medicinæ copias in unam quaſi arcem coactas, ut omnem ſcientiæ noſtræ lucem in uno quaſi ſpeculo collectam, conſpiciamus, tempus nunc admonet, ut elegantioris omnes doctrinæ laudes in uno concelebremus viro; utque ad Meadium denique, tanquam ad ſummum honoris noſtri apicem, ad Meadium nuper noſtrum aſcendamus. Nuper noſtrum dixi? Qui hodiè potius nobis eſt honori, et cujus memoria ſucceſſoribus noſtris per omnia ſecula ornamento ſatis amplo eſt futura. Huc nimirùm cogitationes veſtræ, verbis meis expeditiores, orationem noſtram pridèm revocârunt. In hoc igitur faſtigio trophæa omnia noſtra ponamus: uti a Linacro, ceu gloriæ noſtræ primo origine et authore, proceſſit oratio, ita in Meadio, haud Linacro impari, ceu ſummâ noſtrorum annalium coronâ, patiente tandem attentione veſtrâ, terminetur. Ultra tale

etenim

etenim exemplar in hortatu et incitamentis progredi non conceditur. Vofmet etiam, fratres ornatiffimi, ad colendam omnem politiorem doctrinam, hortatu non indigetis.

Hic igitur pedem noftrum aliquando figamus: non tam de talis viri jacturâ nuperâ condolefcentes, quam tale huic focietati exemplar, et rebus noftris utile decus, extitiffe nobifmet ipfis gratulantes. Cujus fingulare ftudium fuiffe, non folum Antonii iftius, a Cicerone memorati, laudes æmulari, verùm etiam fuperare vifum eft. Cum enim illuftris ille Romanus maluit in fuâ arte effe primus, quam in alienis fecundus; hic nofter eximius concivis in omnibus primus effe voluit. Ita etiam primus, ut fecundum poft fe vix relinqueret. Inter medicos, medicorum facilè princeps: inter phyficos, in fcientiâ naturali omnium

verfatiffimus:

verſatiſſimus: inter oratores, in dicendo eloquentiſſimus: inter authores claſſicos, ipſe in ſcribendo elegantiſſimus: inter antiquitatis remotæ exploratores, inveſtigator ipſe feliciſſimus: inter antiquæ rei nummariæ ſtudioſos, Meadio nummatior haud privatus quiſquam; qui nullius nummi, niſi veteris, avarus fuit. Literarum non oſtentator, ſed muſarum comes amatiſſimus: literatorum Mecænas munificentiſſimus. Inter philoſophos eruditus, inter urbanos comis, inter liberales facetus. Librorum non helluo, ſed lector acutus, ſagax, limato judicio pollens. Libris, membranis, chartis, priſcis æque ac hodiernis, gemmis, marmoribus, tabulis pictis et inciſis, omnibus denique omnium ætatum monumentis, maximè omnium locupletatus. Cui natura omnes ſuos fontes et receſſus aperuiſſe viſa eſt: cujus animæ contemplatrici non una ſuffecit regio, non

una terra, non unus, uti neque victori quondam illi Macedonico, non unus, si ita dicam, suffecit orbis: sed ulteriùs longè, alios peregrinans orbes, mente progressus est, imperium solis et lunæ, quasi sibi concreditum, inspexisse visus.

Si principibus placuisse laudum non minima æstimetur, quid dicemus de literarum commercio cum regibus gesto? Quid de regali musæo privati viri muneribus aucto, et acceptissimè ditato? In thesauris enim Gallici regis hodiè conservantur nummi, a Meadio nostro missi, qui inter res maximi conduntur pretii: quem non solum ex gente nostrâ, sed ex omni literatâ natione, singuli summo honore prosequebantur, et ambitiosissimè colebant; satis sibi gloriæ esse existimantes, si familiares Meadio, Meadio saltem non incogniti essent.

Quid ampliùs nunc reſtat, niſi porro ſummam Dei providentiam, rebus adhuc noſtris benignè adeò faventem, precari, ut, huic reipublicæ noſtræ nunquam viri ſimilibus ſaltem, ſi non omnino paribus, quod haud ſperare licet, ingeniis præditi, ad hoc grande exemplar doctrinâ morumque elegantiâ formati, deſint. Quod tamen, cum hunc venerabilem doctorum cætum oculis conſpiciamus, nullâ ratione deſperandum eſſe cenſemus. Quum apud vos, viri ſpectatiſſimi, de vobiſmet ipſis præclara pollicentes, et ſimul actu magna præſtantes, non ſine ſummo gaudio et congratulatione plurimos cernamus.

Ut opus hoc perfectum evadat, noſtræ erit prudentiæ, firmitudinis noſtræ. Hæcce enim, et hujuſmodi exemplaria, haſce tabulas, et majorum

 effigies,

effigies, intra mænia noſtra, incorruptas et incontaminatas ſervare, noſtrum eſt. Quod ut faciliùs obtineamus et efficiamus, fratres, fraterno inter noſmet animo conjuncti, vivamus. Conſtipatis, ſi ita dicam, haſtis, pro hiſce aris et focis, pro academiis, pro honoribus, et legibus, et bonis noſtris à majoribus legatis militemus. Ita enim ſolummodo pro arce hâc noſtrâ et mæniis noſtris felicitèr militabimus. Ita anteceſſorum noſtrorum de nobis ſpei benè reſpondebimus; ita rebus noſtris, patriæ noſtræ, medicinæ gloriæ, et ſaluti omnium optimè conſulemus.

Nihil enim ſocietati noſtræ præclarius aut ſtabilius, nihil huic auguſtiſſimæ omnium urbi ſalubrius, nihil toti Britanniæ commendatius, nihil literato orbi illuſtrius, nihil denique toti humano generi felicius optare poſſimus, quàm

ut apud omnem posteritatem, antecessoribus hisce nostris, Linacro, Caio, Harvæo, Sydenhamo, et, ut omnes uno verbo complectar, quamplurimi Meadio consimillimi intra hæc mænia reperiantur.

F I N I S.